



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

XXIX. De potestate Prælatorum regularium ad conferendos ordines.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

& iniquo modo alienandi, tenebitur in conscientia non contrahere, vel si ita contraxit, rescindere contractum, imò si ipse fuit in causa, restituere Societati damna, quæ fortasse Prælati reparare non valet. Et ita etiam esset in externo foro iudicandum, si defectus sufficienter probaretur, difficile autem esset utrumque ad praxim reducere. Hæc ergo sunt propria indulta Societatis in hac administratione.

XVIII. An verò alij religiosi per viam communicationis illis uti possint, ipsi examinabunt, & videbunt. Ego solum aduerto per communicationem non intendere Pontifices invertere modum procedendi vniuersi cuiusque religionis secundum suas Constitutiones; neque ad hoc licentiam dare: communicatio ergo ad vnamquamque accommodari debet iuxta modum suum; ut, v.g. Pontifex concedit Generali Societatis, ut in alienationibus simpliciter procedat iuxta suas Constitutiones, non conceditur per communicationem Generali, v.g. S. Augustini, ut possit similiter uti illo privilegio iuxta Constitutiones Societatis, sed iuxta suas, quia intentio Pontificum non est derogare aliquibus Constitutionibus, nec priuare religionem, vel religiosum suo iure, quod fortasse iuxta suas Constitutiones habet. Vnde licet in Societate tantum requiratur consilium consultum, in alijs requiretur definitum; & licet in Societate non sit de substantia actus, in alijs esse poterit. Obseruata ergo hac moderatione, & conuenienter applicata, habebit locum dicta communicatio.

CAPVT XXIX.

Quam potestatem habeant Prælati regulares ad Ordines conferendos?

I. DVplex potestas Ecclesiastica distingui solet, iurisdictionis, & ordinis: ad priorem pertinent, quæ hætenus de potestate horum Prælatorum tractauimus, nam potestas administrandi temporalia quasi accessorie iurisdictioni adiungitur; potestas autem ordinis vocatur illa, quæ est ad quoscunque actus sanctificandi, consecrandi, aut solenniter benedicendi rem aliquam, vel personam. Hæc autem potestas non conuenit specialiter Prælatis religionis per se, & præcisè ex eo, quod Prælati sunt, sed supponi solet in illis ex eo, quod sacerdotes sunt. Nihilominus tamen ex peculiari institutione, vel concessione Ecclesiæ aliquid eis in hac parte concessum est, quod vel omnibus, vel multis eorum est communicatum, & ideo breuiter est hoc loco explicandum. Supponendo in primis sacerdotem simplicem solum posse ex vi sue ordinationis, & communis institutionis Ecclesiæ præter sacramenta, quædam pauca sacramentalia conficere, ut aquam benedictam, & similia, quæ in Missali, & Manuali Romano continentur: nihilominus tamen posse Pontificem hanc potestatem extendere per specialia priuilegia. Vnde si Prælati religionum aliquid amplius potestatis in hoc genere habeant, per specialia indulta Pontificia illis concessum esse necessarium est, & ideo illa consulenda sunt, licet aliqua sint in iure communi inserta, ut videbimus.

II. Secundo supponendum est, Abbates religionum quosdam esse benedictos, alios non benedictos, ut ex vsu constat, & ex priuilegijs statim referendis. Et colligitur etiam ex c. i. de supplen. neglig. Præl. quod sumptum est ex c. i. priuilegio Cisterciensium, & idem habetur in l. ab Urbano III. concessio. ex quo nonnulla ad rem præsentem notari possunt. Primo, Abbatem non constitui in suo munere per benedictionem, sed per electionem, & confirmationem, ut ibi glossa notat, Panormitan. & omnes;

atque ita benedictionem se habere veluti quoddam ornamentum, & quasi ordinationem, seu consecrationem personæ in ea dignitate constitutæ. Vnde rectè infert Nauarrus Consil. 2. de Sacramentis non iterandis, benedictionem illam non posse iterari, sicut prima tonsura, & aliæ benedictiones Ecclesiasticæ circa eandem rem permanentem non iterantur. Secundo colligitur ex dicto textu, hanc benedictionem habuisse olim aliquos actus proprios, qui dici possunt veluti actus Ordinis, ut innuauit Syluest. verb. Abbas. num. 4. nam Abbas electus, & confirmatus potest actus iurisdictionis exercere, tamen benedicere, aut ordinare, qui sunt veluti actus Ordinis, quod in illo textu supponitur, & statim amplius patebit. Simul verò constat ex illo textu, per concessionem Pontificis fieri posse, ut Abbas non benedictus possit eisdem actus quasi Ordinis exercere, quos potest benedictus: cum enim olim Abbates ab Episcopis benedicerentur, antea non exercebant prædictos actus Ordinis, quia verò Episcopi interdum negabant, vel nimium differebant benedictionem, concedit ibi Alexander III. *Ut si Episcopus seruo cum humilitate ac deuotione, iuxta consuetudinem, requisitus, Abbates benedicere renuerit, liceat Abbatibus proprios monachos benedicere, & alia, quæ ad officium huiusmodi pertinent, exercere.* Constat igitur illam benedictionem Abbatis non esse simpliciter necessariam ad tales actus.

Dico ergo: Aliqui Prælati religionum possunt primam tonsuram & minores Ordines conferre, & olim poterant etiam subdiaconos, & Diaconos ordinare. Hæc assertio partim constat iure communi, partim priuilegijs extra illud existentibus. Primum ius, quod in hac re inuenio, est in c. i. 69. dist. ex VII. Synodo, cap. 4. ubi dicitur, *Abbas possit tantummodo in proprio monasterio lectores ordinare.* Vnde glossa colligit, etiam posse facere Oiliarios, quia inferior gradus est. Et Innocentius III. in cap. *committat*. de etat. & qualit. inde concludit, posse etiam dare primam tonsuram, quia qui maius potest, etiam potest id, quod est minus, maxime quando sunt per se subordinata. Hoc ergo ius antiquum indubitatum est. Nonnulla verò ad illius declarationem interrogari possunt.

Prima Quæstio, in quibus sit hæc potestas?

Primum sit, qui Prælati regulares habeant hanc potestatem. Respondeo, qui quatuor condiciones habuerint, quantum ex textu colligitur. Prima, ut sit Abbas, id est, Prælatus monasterij, & si hæc sola esset necessaria, existimo ibi comprehendi quoscunque veros Prælatos regulares, etiam si Abbates non appellentur, quia hoc non pendet ex nomine, sed ex re significata per nomen, & in re, quantum attinet ad dignitatem Prælationis, æquales sunt, ut sæpe in superioribus dictum est. Et confirmatur, nam in originali, saltem prout habetur in editione Latina Conciliorum (Græcam enim videre non potui) non est nomen Abbatis, sed Præfatus monasterij. Secunda conditio est, ut Abbas sit sacerdos, ut etiam Innocentius expressit, olim enim sæpe Abbates non erant sacerdotes, quod vsque ad sæpè Abbates non erant sacerdotes, quod vsque ad conditio est, ut sit benedictus, & significatur illis verbis, *Si eidem Abbati manus impositio facta noscatur ab Episcopo secundum morem perficiendorum Abbatum, illa enim manus impositio ibi non est nisi benedictio, ut glossa aduertit, quia reuera nihil aliud commendat intelligi potest.* Quarta conditio est, ut habeat iurisdictionem, de qua statim.

Secunda

Secunda Quæstio, Qui possint ordinari.

V. Secundò interrogari potest, quos possint Prælati ordinare ex vi illius iuris, id est, an solum monachos eiusdem religionis, vel etiam extraneos, aut seculares. Hoc pendet ex intelligentia illorum verborum, *Solummodo in proprio monasterio*: nam referri possunt vel solum ad personas, vel solum ad locum, vel ad utrumque simul. Iuxta primum sensum dicendum est, vnumquemque Abbatem tantum posse ordinare monachos sui monasterij, posse tamen illos ordinare ubicumque reperiantur, quia monasterium ibi fuitur formaliter pro personis, & quia qui potest ordinare subditum in sua diocesi, etiam potest extra illam, quia ille est actus voluntarie iurisdictionis, ut Canonistæ docent, quos refert, & sequitur Rebuffus in Practica, p. 1. cap. De clericis, &c. Iuxta secundum sensum Abbas solum poterit ordinare in loco sui monasterij, ibi tamen poterit extraneos illos legitime venientes ordinare: quia iuxta hunc sensum in personis nulla ponitur limitatio. Iuxta tertium verò sensum solum poterit ordinare suos subditos, & intra suum monasterium.

VI. Et hunc sensum existimo verum: nam quòd hæc potestas solum conferatur respectu propriorum monachorum, certissimum est ex usu, & ex alijs privilegijs, quæ infra referemus, & declarat aperte Innocentius III. supra dicens, *Cum contingat interdum quod laici ad monasteria convolant ad suis Abbatibus consueverunt*, &c. Et iuxta hoc intelligit statim decretum VII. Synodi, cuius ratio, & motum non tam fuit favor Abbatis quàm religionis, & ut facilius & sine distractione possent religiosi ordinari: ergo solum pro subditis data est hæc potestas. Denique coniectura sufficiens est, quia similia privilegia ad subditos tantum referri solent, nisi aliud expresse declaratur, quod in presenti non fit. Deinde, quòd talis facultas limitetur ad propria monasteria, patet etiam ex proprietate verborum, & communi interpretatione. Item potest reddi ratio, quia nullus Episcopus potest in aliena Diocesi ordines conferre, etiam proprios subditos ibi ordinare velit, vel alios exemptos, qui ab ipso ordinari cupiunt; argumento cap. *Episcopum non*, & sequentibus. 9. quæst. 2. & cap. *placuit*. 7. quæst. 1. & Clementin. vnic. de foro competenti. Sed Diocesis (ut sic dicam) vniuscuiusque Abbatis, non extenditur extra proprium monasterium; ergo non possunt extra illud Ordines conferre. Quæ ratio optimè probat etiam ex vi iuris communis non posse ordinare in alio loco inuito Prælato illius Diocesis; quæri autem potest, an ex consensu alterius Prælati possit id facere; nam glossa in dicto cap. *quoniam*, verb. *Monasterio*, affirmat posse si inuitetur ab alio Prælato, quod solum probat ex cap. ult. 9. quæst. 2. ubi sermo est de Episcopis, de quibus ratio longè diuersa esse videtur, quia Episcopus ex vi suæ consecrationis potest ordinare quoscumque, & solum ex lege Ecclesiastica requiritur certus modus, ut licet nati; in presenti autem potestas est ex privilegio. Vnde non videtur excedere formam, & concessionem illius.

Tertia Quæstio, An valida sit ordinatio excedens formam privilegij.

VII. Vt ergo circa hoc veritas constet, insurgit alia quæstio, si Abbas excedat formam canonis ordinando sibi non subditos, vel extra suum monasterium, ordinatio sit valida, esto licet non fiat. Videri enim potest, ita esse affirmandum, quia facultas per hoc decretum concessa est veluti quadam potestate. Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

testas ordinis; potestas autem ordinis non pendet ex loco, aut iurisdictione, ut validum efficiat actum, si alias versetur circa materiam capacem; ergo postquam hæc potestas per privilegium data est, quanvis non liceat ea uti, nisi modo, & circumstantijs à concedente præscriptis, si tamen aliter fiat, factum tenebit; si concurrant reliqua omnia necessaria ad tale sacramentum. Atque ita sentit glossa in cap. *Abbatibus*, de privilegijs in 6. verb. *consueverunt*: ubi cum Archidiacono ait Abbatem alteri (id est, non subdito) conferendo ordines imprimere characterem. Quòd si hæc pars vera est, probabiliter defenditur, quòd dicta glossa in c. *quoniam*, sup. relata affirmat, quam aliqui sequuntur, & tunc non solum valide, sed etiam licet poterit Abbas ordinare extra suum monasterium, quia illa limitatio solum censetur addita in fauorem Prælati alterius loci; & ideo illo cedente iure suo cessat illa obligatio. Imò eadem ratione (quod etiam glossa sentit) poterit vnus Abbas licet ordinare subditos alterius Abbatis inuitatus ab illo, quia potestas ordinis non deest, ut supponitur: reliqua autem, quæ ad iurisdictionem pertinent, per licentiam alterius Prælati licet sunt.

Nihilominus, in priori puncto de ordinatione non subditorum contraria pars videtur probabilior, saltem quoad circumstantiam personarum. Itaque si Abbas ordinans seculares, vel Religiosos, non sui ordinis, aut sibi non subditos, ordinatio non tenebit ex defectu potestatis in ordinante, ita sentiunt communiter Doctores in dicto c. *quoniam*, & in cap. *cum contingat*, de ætate & qualitate, & Rebuffus in practica, p. 1. cap. de Clericis num. 14. & ideo in num. 15. ait extraneos promotos ab Abbatibus debere privilegium Abbatis ostendere, sine quo tonsura eorum non valet. Ratio autem est, quia licet hæc potestas sit ad actum Ordinis, & ideo late potestas ordinis dicatur, tamen non est ex intrinseca, & quasi diuina extensione siue characteris sacerdotialis, qui solus in Abbate supponitur, sed est ex quadam veluti extrinseca extensione per Pontificis voluntatem; ergo hæc extensio non excedit terminos à Pontifice præscriptos; ergo extra illos nulla est potestas in tali ministro, non solum ut licet, verum etiam ut valide faciat; ergo si potestas solum data est ad ordinandos regulares subditos, circa alios facta nulla est. Probatur consequentia, quia illa extensio, & potestas non est de se indifferens ad omnes, ad modum potentie naturalis, sicut dicit potest de characteris Episcopali, sed est voluntaria; iuxta concessionem delegantis; ergo non extenditur vltra illa etiam, quoad potestatem faciendi actum validum. Confirmatur exemplo: nam si Pontifex det licentiam Sacerdoti ad confirmandum tantum personas huius ciuitatis, non potest valide alios extraneos confirmare, quia per se non est minister huius sacramenti, sed solum quantum ei conceditur, idem est autem in presenti.

Declaratur etiam ex alio effectu: nam Pontifex potest concedere hoc privilegium solum pro tali tempore, quo transacto, si quis tentaret Ordines conferre, vel confirmare, nihil faceret, quia iam non est minister ex commissione. Item potest Papa tale privilegium absolute datum reuocare, ut per se certum est; ergo potestas eius non est in omnibus similis potestati characteris, quæ indelebilis est, & irrevocabilis; ergo etiam quoad personas limitari omnino potest à concedente. Ex qua resolutione sequitur huiusmodi Abbates non posse ordinare alios sibi non subditos, etiam rogatus à Prælato illorum, quia vnus Prælatus solum potest inuitare alium supposita in alio sufficienti potestate ordinis, vel sufficienti commissione Pontificis; neutra autem in presenti inuenitur, ut ostensum est: ergo.

Maiores

Major patet, quia nullus Praelatus infra Summum Pontificem potest committere extraordinario ministro (ut sic dicam) ea, quae pertinent ad potestatem ordinis, sed solum possunt inferiores Praelati dare licentiam subditis, ut ab his, qui vel per consecrationem, vel per concessionem Pontificis possunt esse Ministri huius Sacramenti, illud recipiant.

X. Magis autem videtur res dubia de circumstantia loci proprii Monasterij; videtur enim res nimis extrinseca, ut ab illa validitas actus pendere censetur. In contrarium autem obijci potest, quia, si facultas Pontificis detur ad tempus determinatum, extra illud non manet potestas; ergo si dat pro loco definito extra illum, non est potestas. Est enim eadem ratio, scilicet, quod haec potestas commensuratur concessioni, ut dictum est. Mihi sane videtur posse Pontificem cum tanta restrictione delegare hanc potestatem, ut extra locum ab ipso designatum, nec valide exerceri possit, quia cum totum pendeat ex illius voluntaria concessione, potest conditionem, quam voluerit, apponere.

XI. Nihilominus ex vi verborum dicti cap. *quoniam*, non existimo esse positum, neque esse praesumendum, nisi satis expresse declaretur propter coniecturam factam, quod haec circumstantia est nimis extrinseca ad substantiam, & valorem talium actuum. Et ideo non est simile de personis, quia concessio, & potestas, illas principaliter respicit, & ideo ad personas designatas praecise terminatur ubique sit; neque etiam est simile de limitatione temporis, quia ex illa pendet substantia, (ut sic dicam), seu totum esse talis potestatis; pendet enim in fieri, & conservari a concedente, & transacto tempore ab ipso designato statim desinit conservari, atque ita cessat. A loco autem non ita pendet, sed solum respicit illum, ut circumstantiam actus necessariam, ut licite fiat. Qua sententia supposita existimo veram esse sententiam glossae, quoad monachos subditos Abbati, quia & valide & licite poterit illis conferre ordines dictos extra suum monasterium, si a Praelato alterius loci vel inuiteretur, vel permittatur. De valore patet ex dictis. De honestate autem probatur, quia licet textus dicat *in suo Monasterio* quoad circumstantiam loci, solum eam postulat, quatenus iure communi ad debitum ordinem necessaria est; consentiente autem Praelato alterius loci nullus pervertitur ordo, & ideo non fit contra hanc legem, sicut non fit contra commune ius.

Quarta Quaestio. An per hoc privilegium ordinari possint Novitii.

XII. Quarto interrogari potest, verum haec potestas ex vi illius iuris extendatur ad Novitios eiusdem monasterij, & suo modo subditos Abbati; videtur enim non extendi, quia Novitii non sunt religiosi, neque in rigore sunt subditi. Item, quia Novitius potest discedere; Ordo autem semel datus est indelebilis; ergo non est verisimile, pro illis etiam datam esse hanc potestatem. Praesertim, quia est communis opinio, Novitios secundum commune ius non posse licite ordinari; ergo illa concessio intelligenda est, secundum hoc commune ius. In contrarium autem est, quia verior sententia fert Novitium posse ordinari; si aliud speciale non impediat, & praesertim ad tonsuram, vel minores ordines, ad quos specialis titulus non est necessarius; ergo in fauorem Religionis extendenda potius est haec potestas, quam restringenda, cum sit etiam beneficium Principis, quod late explicandum est, quantum verba legis patiantur. Verba autem il-

lius legis solum habent *in suo Monasterio*, in quibus etiam comprehenduntur Novitii, & aliquo modo sunt partes illius Communitatis Religiosae; ergo.

Confirmatur, quia Innocentius III. in dicto cap. *cum contingat*, solum ait, *Laici ad Monasteria conuolantur ad sua Abbates conuertuntur*, per quae verba propria videntur Novitii significari, qui ex saeculo ad Religionem conuolant. Vnde Alexander IV. in cap. *abbas*, de privilegijs in 6. duo membra distinguit, dicens: *Monasteriorum suorum Conuersus, & qui ad illa conuolauerint*. Vbi per Conuersos non intelligit Religiosos laicos prout solent Conuersi a Monachis distinguui; constat enim potestatem hanc non pro illis praecipue dari, sed intelligit Monachos profectos, qui Conuersi appellantur, quia in professione promittunt modum conuersionis; ergo per illos, qui conuolauerunt ad monasteria, intelligit Novitios, quos enim alios intelligere potest, quod sentit glossa ibi, verb. *Conuolauerunt*, addens, *ut in conuersione, & fiant monachi*. Et idem sentit ibi Francus, & Cardinalis Alexandrinus, & expressè Rebuffus supra num. 18. dicens valere talem ordinationem intra annum professionis, neque annullari (loquitur de prima Tonsura) etiam Novitius egrediatur. quia legitime facta est, iuxta regulam *adus legitimi*. de regul. iuris in 6. & efficacior ratio est, quia ordo est indelebilis. Atque haec sententia, ut magis fauorabilis, ac probabilis sustinenda est, quam a Iulio II. confirmata, & declarata inuenio in privilegio concessio Ordini Cisterciensi in Hispania, ubi inter alia sic habet, *Nec non Novitii, & alio, quoscunque dicti monasterii subditos prout poterint praefati per ipsos Abbates clericali charactere insignendi* per quae verba multa alia ex his, quae diximus, comprobantur.

Quinta Quaestio. An ad omnes ordines conferendus privilegium hoc extendatur.

Quinto interrogari potest, ad quos ordines conferendus haec potestas extendatur, ex vi illius antiqui usus. In quo duo sunt certa. Primum non extendi ad sacros ordines, quia ibi non exprimitur, & posse conferre aliquem ordinem sacrum abique Episcopali consecratione ordinantis est magnum privilegium, quod non conceditur, nisi exprimitur in specie. Secundum est certum potestatem extendi ad omnes gradus infra lectorem, ut in principio num. 3. dixi: nam qui dat potestatem ad formam, dat, vel supponit potestatem ad dispositionem prauiam; prima autem tonsura, & gradus Ostiarii est quasi dispositio ad gradum lectoris, qui in eo textu expresse conceditur; ergo, &c. Solum ergo superest difficultas de duobus gradibus Exorcistae, & Acolyti; nam glossa in cap. 1. de ordinat. ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatum, partem affirmantem indicat. Cum enim in textu dicatur omnes Ordines usque ad Subdiaconatum exclusiue a non Episcopis quandoque confecti, glossa id confirmat ex dictis capitulis *quoniam*, & *cum contingat*; sentit ergo ex vi illorum iurium posse Abbates omnes dictos ordines conferre. Et potest ex textu huius argumentum, quia Alexander III. affirmat hoc fieri, & nullum extat aliud ius, quo possit fieri.

Nihilominus contraria sententia probabilior est, quam tenet glossa in dicto c. *quoniam* communiter ibi approbata, ut constat ex Turrecremata, & alijs. Ratio est, quia in textu expresse limitatur potestas ad lectoratum, & non potest a nobis extendi ad id, quod maius est; privilegia enim nec per similitudinem rationis, possunt extendi ultra verborum proprietatem, nec dum ubi est tanta disparitas. Denique privilegia tantum valent, quantum sonant.

Quemodo
vera sit
glossa in n.
7. nulla de
licita; d.

sonant, & ideo suprà n. 8. dicebamus, si concedant facultatem circa tales personas, non posse ad alias extendi; ergo cum verba illius textus de lectoribus tantum mentionem faciant, non possunt cum fundamento vltra extendi. Nec verba Alexandri III. in contrarium virgunt; nam licet referat omnes ordines minores interdum dari à non Episcopis, non tamen dicit fieri ex vi illius iuris antiqui, imò nec alterius iuris communis scripti, sed poterat tunc fieri ex vi aliorum privilegiorum, ut mox dicemus.

Sexta Questio, An Prælatus non benedictus uti possit hoc privilegio in aliquo casu?

XVI. Sexto interrogari potest, an hoc ius, quoad omnia in illo statuta nunc duret, vel quoad aliqua mutatum sit. Et specialiter quoad eam conditionem Abbatis ordinantis, quod scilicet debeat esse benedictus, dubitatur, utrum Abbas non benedictus possit nunc Ordines conferre. In quo dicendum est ex parte ampliatum esse hoc ius per concessionem Alexandri III. quæ habetur dicto cap. 1. de supplenda negligentia Prælatorum, ubi sic inquit: Si Episcopus de iure cum humilitate, ac devotione, sicut convenit, requisitus Abbatem benedicere renuerit, licet Abbatibus propriis Monachos benedicere, & alia, quæ ad hoc officium pertinent, exercere. Vbi glossa verb. *Alia*, intelligit, per cor ferant Lectoratum in proprio Monasterio, quam Panormitanus ibi, & alij approbant, & idem tenet Ioannes Andreas in Clementina Attendentes. §. statum. de statu monachorum. Felinus in cap. eam. de de scriptis. Panormitanus & communis in cap. inter Monasterium. de re iudicata. Et quanvis verba Alexandri III. obscura sint, nam in originali, quod est privilegium sextum Cisterciensibus concessum, sic habet: *Licet ad omnia, propriis benedicere, & alia, quæ ad illud officium pertinent, exercere.* Vnde obsecrum redditur, an facultas solum referatur ad illud officium benedicendi monachos, aut vestes, vel similia: licet hoc (inquam) ita sit, nihilominus Urbanus Tertius, in privilegio octavo eorundem Cisterciensium clarius dixit concedens idem privilegium, & cetera, quæ ad officium suum pertinent, exercere: pertinet autem ad officium eorum Lectores in suo Monasterio ordinare; ergo in eo casu, non est dubium, quin Abbas non benedictus possit hoc præstare. Neque etiam potest dubitari, quin possit Papa hoc concedere; quia illa benedictio, non imprimit characterem, neque est ex Christi institutione, ut necessaria reputetur ad hanc concessionem; sicut ergo potest Papa simplici Sacerdoti absque prævia aliqua benedictione committere confirmationem, ita etiam ordinationem; & ita pro illo casu de facto illam commisit.

Septima Questio, An extra dictum casum possint Prælati non benedicti, seu non perpetui ordinare?

XVII. Vterius verò inquiritur septimò, an extra istum casum habeant aliqui Abbates non benedicti, imò nec benedicendi, prædictam potestatem ordinandi. Quod dubium movetur propter Abbates triennales, qui non benedicuntur, ut perpetui, eo quod benedictio sit etiam quasi perpetua, & indelebilis, & ideo non datur propter officium temporale, prout statuit Eugenius Quartus in privilegio sexto Cisterciensibus de Observantia in Hispania concessum: de illis ergo Abbatibus dubium est, an possint tunc Ordines conferre in suis Monasterijs. Et quidem, quod de iure communi non possint, Franc. Suar. de statu relig. Tom. I. V.

neque etiam ex antiquis privilegijs Cisterciensibus, aut alijs similibus, certum est, quia in eis non inveniuntur concessum. Nihilominus aliqui id affirmant ex privilegijs concessis Cisterciensi familiæ in Hispania. Primum est dictum privilegium sextum concessum ab Eugenio Quarto, anno 1437. ubi vult, ut Abbates triennales, licet eis minus benedictio non impendatur, omnibus, & singulis honoribus, præminentijs, privilegijs, prærogatijs, iuribus, & insignijs Abbatibus fungantur. Hæc autem verba nimis generalia sunt, & de illis merito dubitari posset, quia potestas conferendi ordines est privilegium valde speciale. Tamen privilegium Iulij Secundi, supra relatam omnem tollit dubitationem, quia expressè, & in specie concedit his Abbatibus triennalibus potestatem insigniendi clericali characterem, quam habebant Abbates perpetui, quid autem per characterem clericalem ibi intelligendum sit, infra dicemus. Aliæ item concessionem de hacre citantur in Compendio Cisterciensi, verbo *Abbas* §. 4. & 5.

Octava Questio, An per hæc privilegia soli subditi religiosi nunc valeant ordinari.

Octavo interrogari potest, an hæc potestas etiam nunc limitetur ad solos subditos Religiosos. Ratio dubitandi sumitur ex capite Abbates. de privilegijs in 6. ubi expressè conceditur his Abbatibus, ut possint primam tonsuram conferre Monasteriorum suorum conuersis, & qui ad illa convenerint, & in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent. Deinde Innocentius Octavus anno 1489. concessit Cisterciensibus Ordinem Generalem, & quatuor præcipuis Abbatibus, (& est privilegium 118.) ut possint omnes ordines minores personis eiusdem Religionis intra Monasteria prædicta conferre; imò ibidem refert antea hoc ipsum fuisse ab Apostolica Sede illis concessum: quæ concessio non limitatur ad subditos, sed extenditur ad omnes Religiosos eiusdem Ordinis, quanvis non ad seculares etiam subditos, sicut præcedens, in qua tertium membrum planè intelligitur de secularibus, qui interdum subijciuntur his Abbatibus habentibus iurisdictionem Episcopalem. Vnde illa concessio quoad hoc magis ampla est, licet, quoad potestatem conferendi sit magis restricta, ut in sequenti questione dicam.

Sed licet verum sit per hæc iura, seu privilegia amplificatam fuisse antiquam concessionem iuris communis. Nihilominus, quoad Abbates triennales videtur restricta à Iulio II. ad solos subditos per illa verba, *Novitios, & alios quoscumque dicti Monasterij subditos.* per quæ certum est excludi non subditos etiam Religiosos eiusdem ordinis, an verò comprehendantur subditi, etiam seculares, dubium est propter illa verba, *alios quoscumque.* Tamen dubitationem abstulit Concilium Tridentinum sess. 23. c. 10. de reformatione, ubi statuit, ut amplius non liceat his Abbatibus cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores Ordines conferre; & infra subdit, non obstantibus quibusvis privilegijs, præscriptionibus, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Circa quæ verba dubitari potest, an per illa reuocetur privilegium etiam in iure insertum, ut est in dicto cap. *Abbas*. quia hæc privilegia difficilius reuocari solent; sed nihilominus etiam illud reuocatum censetur, & ita declaratum inuenio à congregatione Cardinalium.

Sed quid si aliquis subditus secularis ordinetur ab Abbate, nunquid ille indigebit noua tonsura, vel ordinatione? Ad hoc responsum inuenio eisdem congregationis tam manuscriptum, quam ex varijs impressionibus, circa citatum c. 10. Trid. illum

XVIII.

XIX.

Resolutio vera de solis subditis re- ligiosis Ab- batum tri- ennalium

XX.

Quoad sub- ditos secula- res horum Abbatum ordinario- nes, sed non licet.

lum non indigere iterum tonsurari, seu ordinari quoad minores iam receptos, sed solum indigere dispensatione. Vnde tacite videtur explicari illud verbum Concilij, *non licet*, vt contineat prohibitionem, non vero auferat potestatem. Nam si potestatem abstulisset, reuera illa ordinatio non fuisset valida, quia ignorantia, vel bona fides etiam intercedat, non reddit actum validum, quando potestas deest: ergo si Ordo bona fide susceptus à tali Abbate fuit validus, non deest potestas in Abbate, sed solum prohibitus est illa vt circa talem personam. Et ideo dicitur esse necessaria dispensatio, quia per illam ordinationem, quauis sit datus character, non tamen vsus eius, eo quod sit datus ab habente potestatem impeditam, seu ab alieno, & non à proprio Episcopo, & absque literis eius. A quo autem sit danda hæc dispensatio ibi non explicatur: credo tamen pertinere ad proprium Episcopum ordinari iuxta principia posita in materia de suspensione disp. 31. sect. 1.

XXI.
Licet tamen iuxta respons. Card. si sint Abbates mittere, &c.

Additur verò, in eisdem responsionibus Cardinalium circa idem caput Concilij Tridentini, vnum valde notandum, scilicet Abbates, qui habent ius baculum deferendi, & mitram si Sacerdotes sint, & benedicti, posse, & valide, & licite conferre omnes minores ordines, quibuscunque, tam regularibus, quam secularibus, etiam sibi non subditis, si tamen ordinandi habeant dimissorias literas, à proprio Episcopo, vel Praelato, per quas singulatum, & in particulari hanc licentiam præbeat, & consensum etiam Episcopi illius loci, in quo sunt ordines ministraturi. Ex qua responsione planè sequitur, quod si huiusmodi Abbates hos ordines conferant talibus personis sine dimissorijs literis suorum Praelatorum, ordinatio substantialiter erit valida, & non iteranda, quauis sic ordinati indigeant dispensatione, propter suspensionem contractam ratione ordinis malè suscepti. Consequutio est euident, quia si Abbas licite hoc faciat suppositis dimissorijs literis, supponitur potestatem habere, quia dimissoria litera, non dant illi potestatem, sed solum licentiam, vel ius vtendi sua potestate circa talem personam.

XXII.
Hæc Cardinalium responsio, si authentica est, parit difficultatem.

Hæc autem omnia videntur repugnare resolutioni traditæ circa tertiam questionem in n. 8. Nam hic clare supponitur potestatem horum Abbatum ex vi suæ benedictionis se habere ad modum potestatis collatæ per characterem, quæ de se sufficit ad operandum circa personam quamcunque, licet ad iustè operandum requirat iurisdictionem. Sed nos supra tantum diximus ex illo iure antiquo Septimæ Synodi id non haberi, quod reuera videtur sufficienter probatum; fortasse autem per posteriora privilegia id ampliatum est, aut consuetudine idem est explicatum, & in hac consuetudine potissimum videtur fundata illa resolutio: nam de iure, aut de privilegio scripto mihi non satis constat. An verò illi resolutioni standum sit, alijs iudicium relinquo; nam de autoritate, & certitudine illius responsi, mihi hæcenus dubia res est.

Nona Questio, An dicta privilegia extendantur ad aliquos ordines conferendos ultra Lecturatum.

XXIII.
Resolutio affirmat quoad omnes ordines minores

Nonò interrogari potest, an illud antiquum ius sit ampliatum quoad potestatem conferendi aliquos ordines ultra lecturatum. Ad quod affirmando respondendum est: nam Alexander III. in dicto capite primo de ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatum, refert, solere aliquos non Episcopos omnes ordines infra subdiaconatum conferre: ergo cum ex iure communi hoc non constet,

credendum est ex privilegio factum esse. Item Innocentius VIII. commemorat, vt supra retuli, nonnullos Abbates Cistercienses ex privilegijs & indultis Apostolicis hoc posse. Imò Congregatio Cardinalium in responso supra citato supponit, omnes Abbates benedictos habentes ius deferendi mitram, & baculum, posse omnes minores ordines conferre, ita vt benedictio illa sit quasi ordinatio quædam conferens hanc potestatem. Potuit enim sub hac ratione à Pontificibus institui; an verò à principio habuerit hanc institutionem, affirmare non possumus, quia non est in iure expressum, sed potius ius cum limitatione loquitur, vt videmus. Privilegium etiam Innocentij Octauo non de omnibus Abbatibus benedictis, sed de Cisterciensibus, & quatuor alijs loquitur. Alexander etiam Tertius in dicto capite primo, solum indennitè dicit, *huiusmodi Ordines à non Episcopis, quandoque conferri*. Non est etiam dubium, quin Abbates Sancti Benedicti habeant hoc privilegium. Idem de Abbate Camaldulensi, & alijs; hinc ergo vel vsu, vel expressa concessione extensa est hæc potestas conferendi omnes minores ordines ad omnes Abbates benedictos, ex vi suæ benedictionis.

Additum præterea est, ab Innocentio Octauo in dicto indulto, vt Abbas Cisterciensis, & quatuor principales Abbates eiusdem Ordinis possint etiam Diaconatum, & Subdiaconatum conferre. De qua commissione controuersia est inter Theologos, an possit à Papa fieri, vt in materia de ordine tractandum est: nunc autem factum tanquam certum supponimus, & ideo credimus iure etiam esse factum, quauis in ratione, & modo explicandi hoc ius possit esse varietas, de qua suo loco. Veruntamen privilegium hoc quoad hanc partem reuocatum esse per Concilium Tridentinum, sentit Nauarrus Consilio decimotercio de privilegijs. Nam sessione 23. capite 8. de reformatione, statuit Concilium ordinationes sacrorum Ordinum à proprio Episcopo faciendas esse; vnde significat, solos Episcopos posse ordines sacros conferre, illud verò cap. non multum vrget; nam, vt ex contextu constat, & à Congregatione Cardinalium declaratum est, cap. illud, etiam in minoribus ordinibus locum habere. Maius indicium est, quod in cap. cum de ordinatione Abbatum loquitur, solum Tonsuram, vel minores Ordines respectu subditorum Monachorum eis permittit, & cap. 12. Episcopis tribuit curam eligendi & examinandi dignos ad sacros ordines, & subdit, *Regulares quoque in minori aetate, nec sine diligenti examine Episcopos ordinantur*, privilegium quibuscunque quoad hoc penitus exclusi, ergo vult Concilium, vt regulares ordinari non possint in sacris, nisi ab Episcopis, & reuocat privilegia contraria, quale erat hoc, de quo tractamus. Quæ sententia Nauarri mihi placet, nam licet (vt ipse etiam putauit) reuocatio illa non sit tam expressa, quin possint coniecturæ illa dissolui, nihilominus privilegium illud adeo est exorbitans, vt eius reuocatio etiam tacita, & insinuata tantum admittenda sit. Videtur enim Concilium consilio noluisse expressam mentionem illius privilegij facere, sed tacite illud præterire, ne videretur illud tanquam validum recognoscere (quod controuersum est) sed simpliciter statuit, & supponit, quæ in privilegio repugnabant, addita solum generali reuocatione, per quam hoc etiam privilegium reuocatum intelligitur. Quod etiam sentit Collector compendij Privilegiorum Ordinis Cisterciensium hoc privilegium omittens.

Vnde multo certius est, Abbates non benedictos, à quibus & triennales non gaudere hoc privilegio, quibus solum cœceditur, vt possint subditos suos Clericali munere chara-

charactere insignire, prout poterant perpetui Abbates, sub quibus generalibus verbis certum est, tam singulare privilegium non comprehendendi, maxime, quia illud commune non erat omnibus perpetuis Abbatibus; ibi autem solum conceditur, quod omnibus commune erat. Vnde certum existimo etiam ante Concilium Tridentinum, hoc non potuisse. De alijs verò quatuor minoribus Ordinibus contrarium est, etiam de his Abbatibus non benedictis, ratione illius privilegij, nam licet verbum *character clericatus* sufficienter posset in sola prima tonsura verificari, tamen ex se ad illa non limitatur, & ideo convenienter extenditur ad omnes ordines Minores, ad quos saltem ex consuetudine extendebatur potestas perpetuorum Abbatum, quibus quoad hoc triennales æquiparantur.

XXVI. Sed obijci potest capitulum, *Abbatibus*, de privilegijs in 6. vbi solum permittitur Abbatibus primam clericalem conferre tonsuram, per quod videtur etiam antiquum ius limitari. Nonnulli volunt extendere textum illum ad omnes minores ordines, vt videre licet in expositioribus, & alijs, quos refert Sylu. verb. *ordo*, q. 2. Sed planè repugnat proprietates literarum prima tonsura Clericali proprie significat solum illam, vt à proprijs ordinibus distinguitur. Et ideo dicendum est in illo textu, non præcipue disponi de ordinibus, quos possunt Abbates conferre, sed de personis, quibus possunt eos conferre, & quoad hoc ampliabat textus ille ius antiquum, (vt dixi) ad quoscunque subditos Abbatibus habenti iurisdictionem Episcopalem, etiam seculares. Igitur ratione huius ampliationis solum primæ tonsuræ mentionem fecit, quia quoad omnes illos subditos noluit illi Pontifex maiorem potestatem dare, si tamen aliunde habebatur, non abstulit illa; nullum enim verbum reuocatorium quoad hanc partem addidit. Et vel maxime, quod privilegia, quæ minores ordines concedunt, posteriora sunt, & consuetudo etiam id semper obtinuit.

Decima Quæstio, An in privileg. ordinandi communicent alijs religiosis.

XXVII. Vltimò dubitari potest, vtrum Prælati aliarum Religionum per viam communicationis gaudere possint hoc privilegio; & ratio dubitandi est, quia Prælati Mendicantes, v. g. communicant non solum inter se, sed etiam cum Religionibus Monachalibus, vt constat ex varijs privilegijs, quæ in eorum compendijs referuntur, verb. *Communicatio*; sed hæc facultas conferendi Ordines minores pertinet ad vnum ex privilegijs Apostolicis; ergo in illo etiam communicabunt. Patet consequentia, quia verba Pontificum generalissima sunt, vt constat præcipue ex privilegio Clementis VII. Minoribus concessum, in quo inter alia dicitur, *omnibus facultatibus & gratiis nostræ professionis regulari obseruantie, non contrariis alijs ordinibus quibuscunque non Mendicantibus quomodolibet concessis, & in omnibus, & per omnia, perinde ac si nobis concessa specialiter fuissent.* vbi hæc potestas comprehenditur sub nomine facultatis, & gratiæ, maxime cum illa ampliatione, *in omnibus, & per omnia.* Nec talis facultas repugnat institutis aut Regulari obseruantia aliarum Religionum, quæ Monachales non sunt. Cur ergo Prælati earum non participabunt hanc potestatem, cum sint verè Prælati, & æqualem habeant in suis subditos iurisdictionem Episcopalem, & consequenter in re ipsa habeant æqualem dignitatem, etiam si non eodem nomine appelletur.

XXVIII. De hoc nihil inuenio à Doctoribus tractatum, tamen ex perpetuo eorum silentio colligo, omnes pro manifesto supponere Prælatos aliarum Religionum. Suar. de statu relig. Tom. IV.

gionum, qui Abbates non sunt, non gaudere hoc privilegio. Idem videtur certum ex perpetuo non vsu omnium Religionum non Monachalium; nullus enim earum Prælati hac vtitur potestate; ergo signum est non agnoscere illam sibi concessam per viam communicationis. Et idem existimo etiam de Canonicis regularibus, quorum instituto, & procedendi modo posset facilius hæc facultas accommodari, & nihilominus non vtuntur illa, per viam communicationis, nisi aliquibus sit specialiter concessa. Deinde potest reddi ratio, quia hoc privilegium adeò speciale est, vt sub generali clausula non censeatur comprehendi. Item, quia non est ex his privilegijs, quæ pertinent, vel ad spirituales utilitates, vel ad conueniens regimen Religionis, sed potius ad quandam dignitatem & præminentiam talium Prælatorum, quæ non videtur ita accommodata statui aliorum Religiosorum, præsertim mendicantium, & ideo non censetur ad illam extendi communicatio. Denique quoties iura loquuntur de inferioribus Prælati, quibus hæc potestas ordinandi communicata est, semper loquuntur de illis sub nomine *Abbatum*, quod est signum per eam vocem, in iure significari peculiarem dignitatem, quam non habent Prælati aliarum Religionum, qui hoc nomine non vocantur. Et ideo in hac potestate non communicant: Præsertim, quia ex se & ex primæ institutione postulabat hæc potestas benedictionem ipsius Abbatibus, & licet specialiter commissa postea sit Abbatibus non benedictis eorundem ordinum, id solum fuit, quia eis quodammodo erat debita benedictio, ne omnino priuarentur commodis eius. Prælati verò aliarum Religionum per se nullam habent benedictionem, & ideo, nec ex iure communi habent hanc potestatem, neque illa specialis concessio facta Abbatibus triennialibus, ad illos spectat etiam per communicationem. Cuius signum etiam est, quia neque alijs insignijs dignitatis vt possunt, scilicet mitra, baculo, &c. neque ad hoc privilegium extenditur communicatio, quia re vera non est res accommodata alijs institutis; ergo multo minus extendetur ad potestatem ordinandi, cum hoc ministerium sine Pontificalibus insignijs pericere non possint.

Tacite obliuio obliuiscitur.

CAPVT XXX.

De potestate eorundem Prælatorum ad res, aut resilienda benedicenda, vel consecranda.

Sciendum est, quædam ex his iure communi concessa esse simplicibus Sacerdotibus, vt est, aquæ, aut panis benedictio, de quibus in Missali ordinatio mentio fit, & de his hic non tractamus, quia ne supponimus Prælatos, de quibus agimus, esse sacerdotes, & eo titulo posse quicquid possunt Sacerdotes simplices: alia verò sunt propria Episcoporum iure ordinario, vt sunt consecratio calicis, vel altaris, & benedictio sacrarum vestium, & de his est in præsentis sermo. Est tamen vltimus aduertendum, quædam ex his benedictionibus fieri adiuncto chrismate, vt calicis, vel aræ, alias verò per simplicem orationem, & asperzione aquæ benedictæ. Tandem supponendum est, quantum iure ordinario hæc non conueniant nisi Episcopo consecrato, nihilominus per Summum Pontificem posse regulariter committi Presbytero. Dico *regulariter*, quia de quibusdam dubitarunt aliqui, vt de consecratione chrismatum, & de benedictione olei infirmorum, an scilicet possint ex delegatione Pontificis ita cōfici, aut benedici à simplici Sacerdote, vt sit sufficiens